

FAVENTE JEHOVAH!

DISSERTATIONEM

Ex Philosophiâ Practicâ

De

**MALITIA**  
**MORALI,**

Cum Consensu & Approbatione  
Amplissimi Collegii Philosophici,  
in Regiâ, quæ ad Auram Fennorum  
est, Academiâ,

SUB PRÆSIDIO

*Viri Praclarissimi*

DN. ERICI FALANDRI,  
Hebr. & Græc. Lingv. Prof. Publ.  
Præceptoris & Promotoris pluri-  
mum honorandi,

*Liberalis Exercitii gratiâ*

Eruditorum censuræ placidæ submittit

PETRUS JACOBI EURENIUS  
Angermennus<sup>2</sup>

*Ad diem Martij, Anni 1681. in Audi-  
torio Max. boris consuetis.*

---

Impr. à JOH. WALDIO, Reg. Univ.  
Aboëns. Typograph.

*Admodum Reverende & Amplif-  
sime DOMINE,*

**DN. M. PETRE STEUCHI,**  
Angermannia, Medelpadia, Jemtia,  
atque Bothnia occidentalis Superintendens  
laudatissime, Hernosandensium & adja-  
centium Ecclesiarum Pastor, Consistoriique  
Præses gravissime, Mæcenas & Ave o-  
mni reverentiæ cultu summo pe-  
re colende.

*Pl. Reverende & Praclarissime*

**DN. M. MATTHIA STEUCHI,**  
In Regiâ Acad. Ubf. Log. & Metaph. Prof.  
celeberrime, Avuncule, Præceptor & Pro-  
motor, omni observantiæ cultu pro-  
sequende.

*Pl. Reverende & Clarissime*

**M. JACOB E ABR. EURENI,**  
Pastor in Norâ Angermannorum vigilantis-  
sime atque meritissime, Parens charissime,  
filiali obsequio ætatem hono-  
rande.

*Prudentiâ, atq; Virtute conspicue*

**DN. ERICE ABRAHAMI Forsman/**  
Civis & mercator Holmenfis spectatissime;  
Patruæ & Benefactor propense.



**P**RO more veterum, quæ lucubrationes  
suas dum in lucem ederent, Patroni alicuius  
authoritate contra malignorum spi-  
cula protegere, atque protectas sic in publico  
apparere voluerunt, quæ & hodieque so-  
lennis consuetudo: Discursum hunc philoso-  
phicum Vestris nominibus, quando annuente  
Amplissimo Philosophorum Collegio in illustri  
Atbenæ Aboensi, speciminis ergo prodierit,  
inscribere & consecrare institui. Maxima  
quippe Vestra in me beneficia cumulatissime  
collata, tot sunt, ut quæ quidem nec re-  
censere præsens pagella permittat: Imo, in  
tantum Vobis sum obstrictus, ut post Deum à Vo-  
bis vitam & omnia me accepisse, ingenuè fatear.  
Equidem Vos quoque qualiscunque indolis  
meæ agrum, ad optimarum artium segetem,  
vestro industria aratro haud indiligenter  
preparari etiam per idoneas aliorum operas vo-  
luistis. Proinde vobis in gratissimi animi  
ἑξ ὑμῶν has Primitias tanquam vestras red-  
dam: Cum messis abundet frugibus uberior,  
ube-

superiora feram. Interea vel hac qua nunc  
xenioli loco verius quam strenua offere  
licuit, benignè suscipiatis & me pristino  
Vestro favore frui benignè ac paternè per-  
mittatis. Deum opt. Max. ut antè, ita  
posthac votis sollicitabo ardentissimis, ut ca-  
lendas, quibus novus nunc annus aperitur, latif-  
simas felicissimasque Vobis atque vestris illu-  
cescere sinat, Vosque & vestros, in malorum  
hoc Oceano per hunc & annos secuturos,  
incolumes interim protegere atque conser-  
vare velit, donec cœlesti deus gloria Vos  
clementer beatè dignetur!

## Vestrum

Dabam Aboæ  
Pridie calend.  
Jan. Anni 1681.

Additissimus  
Clienſ

& obedientissimus  
Filius

PETRUS EURINIUS.



Q. F. F. Q. S.

MEMBRUM PRIMUM.

§. I.



Leniorem de Malitiâ tra-  
ctationem antequam ad-  
gredimur, *παρασκευὴν* seu  
præparationem quan-  
dam præmittere, candidè

philosophantium erit. Absolvitur verò  
illa 1. Existentiæ probatione 2. Ad cer-  
tam sedem in disciplinis revocatione.  
quantum ad prius: Bonitatem dividunt  
Metaphysici, in Essentialem & acciden-  
talem. Illi Malitiam oppositam non  
dari, communis Philosophorum ad-  
sertio est; opponi huic aliquam, vel  
vulgo est notissimum. Tantas namque  
in mortalium animis egit radices con-  
tagiosissimus protoplastorum pruritus,  
Deo se assimilatum iri sperantium, ut  
quamvis modernis temporibus multi

virtuti morumque gravitati studeant,  
in illos tamen quadret Horatianum illud;  
nihil ab omni parte beatum. Experi-  
entia quippe longè plurima sunt ex-  
empla, quæ squalidam Malitiæ faciem  
vivis quasi coloribus exprimunt. Et me-  
lior hominum progenies omnium fla-  
gitiosorum ac facinorosorum circum  
se, seu stipatorum, catervas habet, non  
secus ac Sallustianus ille Catilina; quo-  
rum alius pallidam maligno livore  
faciem, teste invidia, profitetur, alius  
caninam præ se ferens rabiem, proxi-  
mi sui famam petulanter insectatur:  
Hic lupinâ truculentus feritate, rabidos  
in prædam unguis avarus dstringit:  
Ille supra milvinam famelicus inglu-  
viem, aliena semper inhiat: quosdam  
nefarius superbiæ genius invasit: non ul-  
lis supina sui ignorantia insedit. Multâ  
malis artibus dies trahunt, etiam inter  
ventrem & gulâ occupatissimi. Ast pro-  
lixum horum indicem ac adparatum,  
intra brevissimos limites coercere sa-  
tius est. Dum unâ cum Astræâ avolavit  
universus virtutum Chorus, in terris,  
proh

proh dolor! dominatur fatalis mortali-  
 um pestis, malitia, quæ in hac mundi  
 senectâ non amplius solito venit nomi-  
 ne, sed specioso morum titulo insi-  
 gnitur. Loquitur id Historia vetusta-  
 tis nuncia, lux veritatis; loquuntur &  
 annales & acta temporum, quorum  
 singulæ paginæ in apricum protrahunt  
 vitia. Jam Alexandri, jam Antiochi,  
 jam Domitiani, supra mortaliûm sor-  
 tem se evehentium, temeritatem cerni-  
 mus; prodeunt in lucē Demetrii propriæ  
 laudes: Mutius, apud Romanos alio-  
 rum infortuniis delectatus; Crassi, Asi-  
 nii Pollionis invidiæ faces; Erostratus  
 celeberrimum Dianæ templum, tristi  
 incendio, solo adæquans. C. Tiberii  
 in matrem vehementissima crudelitas:  
 Caligulæ infanda scelera. Singula in  
 albo si representarem, vereor nê omnes  
 Musæ pudore ac verecundiâ suffun-  
 dantur.

§. 2. Posterius *παρρησιῆς* requisi-  
 tum quod concernit in confesso est,  
 omne scibile, quod intellectui ad co-  
 gnoscendum sistitur, scientiam aliquam

ad quam, tanquam principium sui conservativum referri possit, amare. Non parum enim prodest, ut unumquodque *γνώσθαι* justis suis limitibus circumscribatur, ubi penitiores illius recessus cognosci atque adcuratius expendi eò facilius queant. Sic enim intellectui, cui vivifica illa Mater Natura sciendi desiderium iniecit, satisfieri potest:

Nostro Themati commodior non monstrabitur sedes, præter illam, quam in floridissimo Philosophiæ Practicæ horto ipsi suppeditat vitæ morumque Magistra Ethica: præsertim dum omnium scientiarum, in circo Philosophico, iste existat genius, ut contraria eandem ament sedem, quare haud immerito Ethicus tractationi, quæ est de Bonitate M. subnectit doctrinam, quæ in genere morum sibi adjunctam habet quandam defectibilitatem, scilicet removendo à bonitate cuncta, quæ mali aliquas produunt stricturas. Hanc autem positionem Criticos invenire, qui illans inoffenso pede stare haud sinunt, in ambiguo non est. Possunt namque hi hæc ratione ad  
dissen.



diffidentium deficere castra. Quicquid se non habet, velut medium ad finem ducens nec finis supplet vicem, illud certam sibi in aliquâ disciplina practicâ nequit vindicare sedem; at hoc nostrum Thema illo titulo audit. E. Hæc ut ut immotæ veritatis talo innixa videntur; nihilominus, facto discrimine, inter illa, quæ traduntur directè, & inter illa, quæ in ordiæ ad directum, omnia sua ruunt mole. Deinde, hæc communis Logicorum regula est, contraria juxta se posita clarius elucescere. Ut enim Ethicus informat hominem virtutibus, ad consequendam bonitatem M. ita consimilitudine Malitiæ stigmofam faciem oculis sistit, ut eminentia B. Moralis magis conspicua evadat, homines majori in id ferantur studio, illud gloriosissimâ famæ laude celebrent, sciantque quantum distent æra lupinis Sed ipsam *ἠγασίαν* seu tractatum essentialem adgressuri sumus.

MEM.

## MEMBRUM SECUNDUM

ὀνομασιολογίαν exhibens.

§ 1.

PRæmissis jam breviter illis, quæ ad propositiones præliminares spectant, transitum facimus ad evolutionem The-  
 matis. In hoc autem negotio, dum meliora Speramus fata, ὀνομασιολογίαν ventilandam suscipimus, in quâ hæc tria resultant ἑτυμολογία 2. Ὀμωνυμία, 3. Συωνυμία. Ex his primò se sistit ἑτυμολογία, cujus est altiori mentis indagine in primam vocis originem inquirere. Malitia haud ineptè à malo adpellationem sortita est (si grammatica derivatio placeat) quia hominem, ut male audiat, facit, omnisque actionis ἀλαξία infamem reddit; quam derivationem Malitiæ consentaneam esse, sive illa sit privatio ordinis, sive actus, in propatulo est. Logica vero nulla est, cum abstractum h. l. vicem primitivi suppleat, nec parùm illud facit, quòd Malitia ἐξ ἀφαιρέσεως, vel abstracte à subjecto considerari possit.

§. 2.

§. 2. Homonymiam seu variam ve-  
 eis acceptionem quod concernit, acci-  
 pitur vocabulum Malitiæ 1. Philologicè,  
 & quidem 1. Μεταφορικῶς, pro aëris in-  
 temperie, ut apud Plinium & Varronem  
 multis in locis videre est. 2 κατηχρη-  
 σικῶς Antiquis enim hocce vocabulum  
 medium fuerat, quod & in bonam par-  
 tem accipi poterat. Hinc Malitiam Ma-  
 lam apud Plaut. in ejus Aulul. legimus.  
 Equidem, inquit, te civem siue omni  
 malitiâ malâ etiam se propter sum ratus &  
 nûc arbitror, II. Philosophicè, ubi dici-  
 tur, vel 1. Nimis latè pro ut omnis boni  
 inesse debiti carentiam atque defectû in-  
 volvit, siue adpelletur Malû Naturale, si-  
 ve morale: quæ acceptio illis est familia-  
 ris, qui in communi Malitiam exprime-  
 re intendunt 2. Nimis strictè, quâdo cer-  
 tû per se constituit vitiû, ut apud Sene-  
 cam Ep. 47. ubi Pertinaciæ nomine venit.  
 3. Adæquatè, quatenus hic Bonitatis Mo-  
 ralis oppositum constituit, denotatq; o-  
 mne, quod in genere morû defectibile  
 evadit, quod ut probè intelligatur, te-  
 nendum est, vocem Malitiæ duplici mo-

do accipi, quem non transiit, vel enim est aliquid, quod in se malum est, vel Malum est alteri, Quod in se malum est, illud formaliter malū est, & à solâ privatione malū denominatur. Quod a. Malū est alteri, id concedi potest consistere in positivo vid. J. Mart. Exercit. Met: 10 Ithel. 10. §. 4. & 5. conferatur Horn. lib. 2. cap. 7 summi: 20. reliquas æquivocationes sicco præteriens pede, has tanquam præcipuas adduxi.

§. 3. Synonymia antequam nostræ subicitur contemplationi, sciendum est nos hic querere, non Synonymia Logica sed Grammatica: quæ sunt voces idem planè significantes, quales coacervat Plautus dum dicit. Stulti, stolidi, fatui fungi, bardii, blenni, buscones &c. Æquipollentia igitur sunt 1. Vitium, quod non tantum denotet habitum aut qualitatem permanentem, sed etiam ad pravos actus denotandos, haud infrequentet adhibetur 2. Peccatum, cujus verum ægenuinum *ἐτιμω* dicit Junius, lib. de primo Adami peccato, esse ab  
an-

antiquo peccicare sive pecudiare vel pecuare à pecudibus ; pro eo, quod est pecudis modo lineas transilire, ut Cic. loquitur 3. Parad: nimirum istas lineas quas Deus homini circum scripsit. Undè Veteres hominem præcipitem, qui pecudis more extra ordinem fertur, adpellarunt pecudium seu pecudiarium. Quale de cæteris Malitiæ æquipollentiis iudicium sit ferendum, ad hoc non ineptè respondit Cl. DN. Horneius, inquit: Nota; discrimen sicut est inter cætera mala purè privativa, & inter ea, quæ ponunt aliquid materialiter, ita etiã diversis vocabulis plerumque illa efferri. Mala purè privativa κατ' ἐξοχήν dicuntur defectus: cætera vocantur, non tam defectus, quam res, quæ habent defectum, ut pravitas, perversitas, Malitia: hæ enim voces, non tam omissioni, quàm actioni aut habitui malo tribui solent, Hæc autem præcipuè Malitia & vitium, si in foro philosophico sistantur ac juxta exquisitissimam philosophandi ἀκριβειαν examinentur, non diffitendum, inter illas aliquod

suboriri discrimen, nec prorsus con-  
 temnenda sententia Eustachii, Phil. qua-  
 dripart. Part. II. qui a pertis fatetur ver-  
 bis, vitium esse habitum, peccatum actū,  
 malitiam aliquid ab his consequens seu  
 deformitatem utriusque actus. Citius a.  
 omnia ad liquidum perducuntur, cum  
 ostensum fuerit, ad vitium, quod est  
 habitus, plures requiri actus, cujus ratio-  
 nem reddit Thomas lib. 2. quæst. 51,  
 art. 5. dum ait, rationem non posse  
 uno actū totam potentie appetitionem  
 vincere, cum ea ex vi libertatis sue, se  
 diversimode & ad multa habeat: ad ma-  
 litiam satis est si unicus duntaxat vitiosus  
 ad fuerit actus. quæ positio & veri-  
 tati conformis est, illisque, qui hæc  
 asserunt, præexistunt præcella virorum  
 vestigia.

## MEMBRUM TERTIUM

Definitionem Malitiæ expendens.

§. 1.

Παρασκευῆς ac ὀνοματολογίας ideā hacten-  
 nus à nobis exhibitā justo jam ordine  
 pergimus ad ἐργασίας, seu plenariæ tra-  
 cta-

ctationis explicationem. Circa hanc, non secus ac moderatrix, agmen ducit *Πραγμαλογία*. Contemplatur autem hæc, quidditatem thematici; cuius quamvis apud alios atque alios magna à nonnullis præsumatur varietas, in eius tamen formali exprimendo, sicuti connectuntur harmoniâ authores. definitiones namque aliis atque aliis verbis, eundem tamen sensum inferentibus, concipi posse, non repugnat. Nos autem sequentem subjungimus definitionem, que respectu aliarum insigni perspicuitate notabili brevitate, & mirâ quadam gaudet gravitate.

*Malitia Moralis est aberratio à re-  
ctitudine, præscriptâ jure natura vel  
divino.*

§. 2. Omnium primò se contemplan-  
dum sistit definitum, quod vocabulo  
malitiæ indigitatur: cuius proprietates  
dum antea circa *ὀνοματολογίας* enoda-  
tionem ventilatæ sint, ejus heic loci om-  
niè omittimus analysin, nè *πειραλογεῖν*  
arguamur.

§. 3. De-

§. 3. Definitionis partes legitime  
sive essentialis, sunt Genus & Differen-  
tia. Illud dicit, in quantum definiti na-  
tura cum aliis possit convenire re-  
bus, unde conceptus convenientiæ  
dici solet: hæc definiti ab alijs discre-  
pantiam ostendit, diciturque conceptus  
disconvenientiæ. Genus h. l. notatur vo-  
ce aberrationis, quod & latitudinem (ad  
regulam bonæ definitionis) Definiti su-  
perat; datur namque hæc non tan-  
tum in genere morum, sed & naturæ:  
& omnem eum definito negat recipro-  
cationem. Rectè enim dico Malitia  
Moralis est aberratio, at non vice versâ.

§. 4. Differentia desumitur à Causâ  
Formali. Ut enim formale rei morali-  
ter bonæ est præcisè conformitas cum  
jure Naturæ, ita rei moraliter malæ est  
ab hisce exorbitantia, quapropter, hæc  
cum ajo, id dico, omnem rem moraliter  
bonam, eò bonam esse, quod rectæ  
rationi & juri naturæ conformis sit, &  
omnē rem moraliter malam eò malam  
esse, quod exorbitat à rectâ ratione & jure  
naturæ, eique inconformis sit. Recta



autem ratio hic non est anima rationalis seu intellectus, sed rectum intellectus iudicium de re, quæ vel naturaliter nota est, vel ex principiis naturaliter notis legitimè sequitur. Quotiescunque igitur dicimus, hoc vel illud convenire cum rectâ ratione, nihil aliud volumus, quàm esse verum & certum vel quia est principium naturâ notû, vel quia ex principio aliquo ejusmodi deduci potest, ex hisce in præclivi est colligere, cujusmodi aberratio hic intelligatur. Deinde, in exhibitâ definitione, extat vocabulum jus naturæ; hoc cum semper immutabile existat, verisimile esse videtur, semper id intendat, quod optimum ac maximè præclarum sit. At in contrarium niti non è re est, cum planum ac perspicuum sit, non ipsum jus naturale, sed tantum ejus applicationem ac actionum mutari circumstantias.

QUESTIO

QUESTIONES.

*I. An Malum morale sit formaliter aliquod positivum? Neg. Dist.*

**M**ali enim quâ originem, non est influxus ad esse, sed potius tendentia ad non esse, non effectus, sed defectus. Nam malitia si esset res & ens positivum, tum aliquod Ens existeret, quod quoad internam suam constitutionem & essentialia sua principia malum esset: hoc autem quam absurdum sit, vel ex collatione mali & boni elucescit. Nam ut bonum quid dicitur, ratione perfectionis sibi inesse debet, ita ex adverso malum, ob ejusdem defectibilitatem. Gravissimus hic Manichæorum error. volebant namque illi essentiam Malitiæ positivam adstruere, dicentes animas nonnullas malas esse, quod animæ essent, & vitam illorum malum esse, quod vita esset. Non immeritò de his dixit Bonaventura II. d. 2. art. 1. Quod inter illos pestiferam hæc zizaniam non dimisit humana malitia, sed diabolica astu-

stutia, ut se alterum Deum peccatorum mentibus persuaderet. Hinc etiam Thomas ait, Manichæos circa credibilia plus errare, quàm ipsos gentiles. Notum enim hoc fuit doctissimo illo Ethnico Platoni, qui Dial. 2. de Repub. inquit: Bonorum solus quidem Deus causa est. Mali autem quamlibet aliam præter Deum causam querere decet. Malum præterea Ens positivum dicere, quid aliud implicat, quam Deum, utpote omnis positivi Entis creatorem, Mali autorem reddere. Manichæi autem ut hanc impietatem suam, tegant, duorum principiorum cœternorū constitutione eò absurditatis prolabantur, ut Deo solitariè competentem æternitatem evertant. Realitatem tamen positivam Morali Malo attribuere, ut Modo cuidam, nihil absurdi erit.

*II. An ex unâ actione vitiosâ resultet habitus vitiosus? Neg.*

Contrariorum sanè, in gradu parî, contrariam consequentiam esse, ostendit Canon Logicus. Sed antequam

controversiæ nervum rumpimus, obiter hic notandum, quomodo à dispositione ad malitiosum illum habitum, gradualis quidam instituitur processus. Constat enim omnem hominem nasci, nec virtutibus nec vitiis præditum, sed illo ipso momento, quo illi hanc mundi machinam oculis lustrare obtigit, utrarumque rerum semina copulata habere. Semina autem illa sunt, proclivitas ad virtutem & vitia: illa à lumine naturæ & libero arbitrio, hæc à corruptione naturæ, quæ cum sibi adjunctam habeat magnam imbecillitatem, tanta intellectus oritur cæcitas, ut vera à falsis neutiquam discernere possit. solito etiam sapius, prohi dolor! accidit, in tantum obscuratur ratio, ut rectum virtutis tramitem penitus derelinquat, ac bonos illos igniculos vehementissimâ illâ pravæ cupiditarum flammâ suffocari patiatur. Disceptationis autem nodus in illo situs est num hoc uno actu fieri possit? Nota satis communis illa Ethicorum adfertio, illos malos dici, qui à medio

medio virtutis sæpius recedunt, ac peccandi quandam consuetudinem contrahunt. Malitia autem illa, quæ habitualis dicitur, non unâ alterâve actione vitiosâ conciliatur, sed pluribus; frequentius hæc dum iterantur, surgit habitus vitiosus. à proclivitate enim illâ ad malum, ortum trahunt actus mali; promptitudo autem illa, quæ huic in malefaciendo potentie naturali superinducitur, habitus est, qui dum à malis actionibus coagmētatus fit, malus ac vitiosus evadit. Exempli totus ferme scætet mundus: fieri enim videmus, quod illis, qui ejusmodi malas actiones crebrò repetunt, vehementiores quædam ad vitia propensiones ingenerentur, quare haud admiratione dignum est, si vitium inde aliquando consummatum resultet. Nec immeritò ille imperfectissimo gradus malus dicitur, qui nullâ cum difficultate (ut vulgo loqui mos est) nihil reluctante verecundiâ & respectu honesti, ea, quæ mala sunt, facit, adeo ut non tantum deliberato consilio, seu nato ex consuetudine impetu, sed etiam

B

cum

cum voluptate talis actio suscipiatur. Tam pravo qui reguntur motu, cæco tandem impetu eò delabuntur, unde non est receptui locus, ac mentem penè in melius mutare non possunt. Inter hos dominatur ἀπορροή/LEVOI illi, quorum mentio apud Theoph. charact. c. 7. fit. Quibus hanc ille notam tribuit, quod omni estimationis bonique nominis curâ penitus abjectâ, ad quamvis turpitudinem proni sunt propensique. Nec id solùm, sed & turpitude & morum illa depravatio in tantum illis placet, ut intolerabili verborum pompâ vitam suam, omni vitiorum affluentia conspicuam, prolixo commendent elogio, adeo ut non amplius in illis humana mens sibi relicta esse videatur, sed prorsus exuta. Atque in hisce continuata viget malitia, etiam tum, quando illis ab inhonesto cessare contigit. Quadrabit in hos Senecæ Epist. 120. Idem ille est semper, & in omni actu par sibi, jam non consilio malus, sed more eò perductus, ut non tantùm malè facere, sed nihil nisi malè facere possit. Ex

hisce

hisce colligi posse haud dubito, malitiam perfectam uicâ ex actione non oriri. quis enim diceret, ex ante hac recensitâ malarum actionum ejusdem speciei iteratione, habitum vitiosum uno actu adquiri?

*III. Actionem malam an maximè specificet objectum? Et an omnia mala sint equalia? Aff. prius N. post.*

**O**mnis illa imperfectio, quæ moraliter malis actionibus supervenit solet potissimum attendi, vel ratione finis, vel circumstantiarum. Ut autem propositæ quæstionis veritas lucidiores spargat radios, probè notandum est, non ex solo ac nudo objecto malam actionem æstimari, sed etiam hoc fieri ratione circumstantiarum ac finis, quæ tanquam adminicula, factum vel adgravantia, vel elevantia, adhibentur. harum verò respectu, maximè est specificata ex parte objecti. De cætero, cum asserimus objectum malam actionem specificare, non sic intellectum esse volumus, quasi ipsum objectum in suâ essen-

viâ malum existeret. notum enim est  
ex Metaphysicis, omne Ens, quâ tale,  
bonum esse: sed hic attendi debere ob-  
jectum, in quod mala actio collata est.  
Exemplis clarius elucescit: apud judicem  
magis quæstio instituitur de objecto: quæ  
fuerit illa, quam quis exercuerit  
actio, quàm de fine: quid hoc suo edi-  
to facinore intendebat. Nihilomi-  
nus tamen, virtus hic non est mul-  
tiplex ille circumstantiarum & diversus  
ordo. v. gratiâ, si vel factum sit publi-  
cum, multisque scandalis vel alijs vitijs  
conjunctum, vel etiam frequenter per-  
petratum; unde, crescentibus delictis  
exasperandæ sunt pœnæ, objectû autē ut  
dixi, maximè determinat, sic quoad  
plures gradus sceleratus præsumitur a-  
ctus in parentem commissus, quàm in  
hostem, vel alium quemcunque priva-  
tum hominem, quem nullo attingebat,  
sanguinis nexu.

Quod spectat ad alterum ζήτησεως no-  
stræ membrum; Stoicos, circa vitiorum  
æqualitatem statuendam, toto cælo er-  
rare, illi qui vel moralium actionum  
men-



mensuram sibi notam habent, satis intelligunt. Vitiatorum enim variam rationem, ex proposito voluntatis & accessu circumstantiarum, observare licet. Et, ut in re notâ breves simus; cum actiones ab animo sint æstimandæ, quicquid in hoc principio inest vitii, in actum ipsum etiam redundat. Unde collectu haud difficile est, quosdam bonos inveniri, qui circa virtutis exercitium alijs palmam præripiunt, quosdam malos etiam esse, qui circa pravas actiones alios superant. Nam omnibus bonitas æqualis non inest, & malorum mentes æquali malo imbutas non esse, conversationis experientia satis ostendit. Qui deliberato animo certoque proposito mali quidquam suscipiunt, semel iterumque si pergant; deveniunt facile ad summum, de quo ante dictum est gradum. Quare nec alio loco haberi mereantur, quàm quo ob hanc vitæ rationem digni sunt: hoc est, debent ut proximiâ summè malis haberi, vel ut se ad perfectum malitæ habitum disponentes. Sunt & gradus aliis minores,

ut qui voluntate, quemadmodum adpellant, semiplenâ, ex affectu aliquo, ex affectus cuiusdam impetu, extra omnem deliberationem, ex ignorantia, ex errore, aut aliis ejusmodi causis delinquant quas hic altius reperere super vacaneum duco, cum nihil illo in vulgus notius sit.

*IV. An omne vitium debeat esse voluntarium? N.*

Formalis namque Mali ratio, uti superius dictum est, consistit in exorbitantia à lege seu divinâ, seu humanâ: ubi intellectum volumus, nullum involvi respectum, ad præsentiam, vel absentiam *ἐκ τῆς ο.* voluntarii. Error Gregorii de Valent. Thomæ, Bellarmini, aliorumque Papicolarum, hic omnium gravissimus est, quòd hac suâ assertionem, in renatis concupiscentiæ flammis vitii nomine non venire, ac proinde ab illis legem DEI inviolabilem servari posse, velint. Ast de his in veriverbium abit, quod plus circa credibilia errent, quam gentiles. Hoc ut ut sit, Theologorum

totum est, nec nos pedem in alieno  
ponimus choro. Ului hic imprimis erit  
distinctio, inter vitium civiliter seu po-  
litice, & spiritualiter acceptum. Illo  
modo & in foro soli, præsupponitur  
prævia voluntatis *ωεγάλης* ac assensus:  
Civilis lex unicè in illum redundat illis  
lata qui liberi arbitrii usu pollent, nec  
propriè quod legi humanæ contraria-  
tur, nisi de essentiæ suæ ratione sit vo-  
luntarium. Hoc altero autem si proce-  
damus ordine, & vitium summi Judicis  
tribunali in foro, ut ajunt poli sistatur,  
nullus amplius instituitur respectus si  
*ἀνομία* legis orbitam transiliens, delin-  
quente conscio aut inscio facta sit, mo-  
dò legem transgressus sit.

*V. An Malum pœnæ debeat excedere  
malum culpæ?*

Quòd crescentibus delictis etiam sine  
exasperandæ pœnæ, licet non sine  
qui negent, illi tamen reperiuntur, qui  
fortè non dubitabunt asserere, malum  
pœnæ si malo culpæ respondere non  
videatur, æquitati & justitiæ distribu-

rius esse contrarium. Ipsa namque  
justitia consistit in proportione inter  
delictum & poenā, ut, si in trutinā ad pen-  
datur utrumque, inæquilibrio versetur:  
& poenæ malum præsupponit malum  
culpæ, & nunquam non in bonis legibus  
inter vitium & supplicium aliqua fuit  
proportio. Sed dum in hoc nodo oc-  
cupati sumus, quem Theologi, juris-  
cōsulti, adeoque saniores Philosophi,  
dudum fecere suum, paucissimis saltem  
sententiam nostram exponemus, &  
ut lucidior sit, per exempla agemus. Sit  
itaque quæstio: An fures sint suspenden-  
di? Negabunt, qui legem scriptam  
Exod. 22. 1. illimitatam servandam sem-  
per sanctam volunt, nec hili vel pili  
exceptionem istam æstimant, quòd,  
dum crescunt delicta, ereseant etiam  
poenæ. Verba enim illorum hæc sunt:  
legi divinæ cum primis capitale istud  
supplicium esse contrarium, & sic per  
consequens injustum; Deus namque,  
quamquam multiplicatum providit iri  
furtum apud Judæos ac apud nos, no-  
luit tamen capitale supplicium sancire,  
ob

ob culpæ & pœnæ improprietatem.  
deinde, politiæ Israëlitiæ sanctissimos  
judices, furtum omnitempore indies  
magis familiare, non aliter tamen da-  
mnasse, quàm redditione juxta legē Do-  
mini. Naturalis etiam æquitas imita-  
bile quasi hoc edictum promulgavit,  
ut, consentiente præcipue Scripturâ, ubi  
de lege talionis agitur, æqualia peccata,  
pœnis æqualibus, gravia graviter, me-  
diocria mediocriter, levia leviter,  
coërceantur, ut adsit

*Regula peccatis, quæ pœnas irroget æquas,  
Nec scuticâ dignum horribili sectere flagello.*

Aliter si fiat, &, in dicto exemplo,  
furi pro bonis ablatis vita eripiatur, in-  
justitia & iniquitas summa jus illud quod  
cunque erit, juxta proverbium: sum-  
mum sus summa injuria. Nam, quam  
proportionem quis dabit inter vitam  
& furtum? dum nullum bonum, quod  
fures eripere possunt, omnino sit, quod  
vitæ æquiparari possit. fures dixi, nam  
si quem sub furando interimant, vel  
aliud quod committant, furis titulus  
in homicidium vertitur, & nullus non

est, qui non furi homicidæ & patibulo-  
lum & capitale supplicium vovet. Verum,  
dum in furto solùm deprehensus, &  
ob furtum solum capitis damnatur, Dra-  
conis ista sententia, sanguine non atra-  
mento scripta, videtur: omnium etenim  
creaturarum, quæ orbem sublunarem  
colunt, vel aliàs illi subjectæ sunt, ho-  
mo, licet fur, non solùm ratione crea-  
tionis, sed & redemptionis, & cœtero-  
rum omnium maximorum beneficio-  
rum & privilegiorum, soli homini con-  
cessorum, dignissimus est; quibus cum  
cœtera non participant, nec facilè cum  
illo comparari possunt, adeoque inter  
bona hæc caduca, quæ furto tolli pos-  
sunt, & vitam hominis, nulla fieri pro-  
portio. Quæ dum perpendimus, meritò  
quæstionem hanc controversis plenam,  
arduam & intricatam, imò magni præ-  
judicii reputamus. Quicquid autem sit  
in tam periculoso negotio, sententiam  
tamen nostram interponemus. Mit-  
timus autem cum primis Ægyptios, in-  
de Lacedæmonios, veteres Germanos  
Alemannos dictos, apud quos furta non  
mo-

modò licita fuerant ac impunita, sed & laudi ducebatur, si quis cautè, astutè, clàm & dominis inscientibus, aliquid surripere potuerat, modò non fuerit deprehensus, quia putarunt hoc acere ingenium, & animum solertem reddere, teste Alexandro ab Alex. Dierum Genialium. c. 3 E contrario furti varia supplicia apud varios populos fuerunt, fures suos illi cauterio notarunt, alii amputatis auribus. Numa Pompilius manus furum amputari iussit, ac Gothi primi nè credas, barbari sed furtum penitè detestantes manibus abscissis fures laqueo suffocârunt, sicut & ad huc hodie apud nostros & plerosque vicinos, & omnes ferè Europæos, fures majores, manibus post terga revinctis, ad patibulum & suspendium deducuntur. Nam furtum non magis jure divino quàm naturali est prohibitum. Ipsâ naturâ enim æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiozem. Tantum igitur abest, si vel hic vel ille populus juri naturali adversetur, ut jus naturale esse desinat, quasi verò perver-

ſæ aliquorum mentes poſſint quicquam  
ex communi & divinâ omnium con-  
ſenſione pervertere! Rectè ſic hodie  
pœna furti ordinaria, ultimum eſt ſup-  
plicium & pœna capitalis, conſer con-  
ſtitut: Carol. Vti art. 157. & LL. no-  
ſtrarum titulos de furto, earumque ex-  
plicationes. non quidem cujuſcun-  
que vel leviffimi: pro quorum commiſſo-  
rum qualitate & circumſtantiis, pœna  
eſt etiam ordinaria & arbitraria, utpote  
flagellatio, *Gatullopp* vel *Rijslijtander*  
ſed talis, quod quinque ſolidorum,  
Conſtat Car. v. art 160. drachmæ, *Q. Q.*  
*Litſb.* c. 6. vel marcæ *St. Q.* eodem  
titul. c. 3. vel 60. *Thalet* argenteorum  
ut *Straffordningē* habet de 18. Maij 1653  
art 3. ſed hæc dum diximus, & poſtre-  
mam legem dudum adprobatam novi-  
mus, nunc ſaltem de æquitate hujus  
pœnæ, pauciſſimis item, aliqua proſera-  
mus, vel maximè L. B. eò remittimus,  
unde illum ſufficientem ſperamus habe-  
re reſponſionem ſcilicet ad B. Meisne-  
rum *Philosophiæ ſobriæ Sectionis ſe-  
cundæ Quæſt. III.* ubi videbit maxi-  
mè.



me argumenta Calvinianorum, Ex lege  
divinâ, Ex naturali æquitate, Ex Scri-  
pturæ testimoniis furtum extenuantium  
eosque hanc pœnam evincere velle, ni-  
mis duram, legi divinæ contrariam,  
& ideo leviolem, & quidem pecu-  
nariam, furibus infligendam, seu, pro  
ratione rei furto ablata, secundum te-  
norem S. paginæ; & leges etiam Ro-  
manas civiles, triplam, quadruplam à  
fure Domino rei restituendū esse. & no-  
vimus sanè pœnam capitalem Legib. XII.  
Tabb. in fures constitutam, teste Gell,  
lib. II. c. ult. præ: post: pœnâ quadru-  
pli mitigasse. Sed, ut diximus, hodie  
furtum 60. th. argenteorum etiam ali-  
quando multò minus, pro circumstan-  
tijs suis, capitaliter punitur: vid. We-  
senb.  $\infty$ . in ff. de furtis. At dices cum cæ-  
teris, etiam Keckerm disput. xxxii. cur-  
sus philosoph. quæst. 2 ipsa justitia con-  
sistit in proportione inter pœnam &  
delictum, sin, à re ad corpus produ-  
citur, proportio hæc certè profuse ex-  
pirat. Nam quæ proportio inter 60.  
Thaler argenteos & vitam hominis?  
leve

leve interim hoc de proportione erit  
argumentum; siquidem in coërcendo,  
non tam res, quæ violatur, quam qua-  
litas delicti est attendenda, an sc: & qua-  
tenus Remp. aut salutem communem  
lædit, ad cujus conservationem omnes  
leges sunt referendæ. Nec minus socie-  
tatem humanam fures violant, quàm  
homicidæ & adulteri, quos tamen nul-  
lus pœnæ capitali eximit, proinde argu-  
mentis, à licito, ab utili, ab æquo & à  
necessario, consentiente scriptura &  
confirmante indies experienciâ, legem  
hanc latam, quam furum summa fre-  
quentia, & omnium aliorum medio-  
rum inefficacia Magistratui summo ex-  
torfit, nullus sanus, nec Christianus im-  
probabit. sic quoque de cæteris, idem  
esto iudicium.

*Gloria sit Patri, sit Nato gloria, Sancto  
Gloria Spiritui, TRIADI sit gloria Sacra.*



In Pereximium JUVENEM,

DN. PETRUM J. EURENIUM,  
Angermannum,

Sacrarum & Secularium Literarum Studiosum præstantissimum, *De Malo Morali*  
Dissertatione eruditâ, publicum disputationis specimen è Cathedrâ Academicâ edentem:

Quicquid lativagis fluctibus æquora  
Servant, planities herbida gramine  
Monstrat, vel nemorum per penetralia  
Condit piniferis aspera montibus  
Tellus; inficiunt plurima denique,  
Post ortos homines, damna nefaria,  
In pœnam Scelerum primitus addita.  
Tetra propterea labis Adamicæ  
In panes meritis, Numine judice  
Iusto, terrigenæ post cruciverante  
Causam fortè luis Tu meritoriam  
Venaris, calamo præpete diligens,  
Eureni, atque Mali tetrica crimina  
Moralis, satagens gnaviter, explicas.  
Quare sic referes commoda calitus,  
Devitans varias impiger invidi  
Artes atque strophas dæmonis, acriter

Quis

Qui quemvis Stygia in veſta pellicis ;  
Optatus venies hinc etiam incola  
Celi, calitibus ſecula in omnia  
Adſcriptus, ſpatiis fauſtus Olympiis !

Gratulabundus Scripſit

PETRUS LAURBECCHIUS  
Poëſ. Prof. Ord. & Facult.  
Phil. h. t. Decanus.

Τῆς τῶν τρόπων καλοκαγαθίας ἀντιποιέμενε  
Κύριε Εὐορηνίε, φίλε τίμιε.

c/

Ὡς περ ἐν τοῖς θεωρητικοῖς ἡ ἀλήθεια μία  
ἐστὶ τὸ ψεῦδος δὲ ποικίλον, ἔτω καὶ ἐν  
τοῖς πρακτικοῖς ἡ μὲν ὀρθότης μία ἐπὶ τὴν  
παντελεῆ δικαιοπραγίαν ὀπιζητῆσαι, ἡ δὲ κα-  
κότης πολύτροπος, ἐκ τυχῶσος ἐκάσῃς ἐνδείας  
γνωσμένη. Καὶ ὡς ἐν τοῖς θεωρητικοῖς ἡ  
ἀλήθεια δυσύρετόν ἐστι, ἔτω ἐν τοῖς ἠθικοῖς  
τὴν ὀρθότητα διαπραχθῆναι δύσκολόν ἐστι.  
Πολὺ ἔν ἐπαινετέον τὴν σπερδὴν τῶν πρὸς τὴν  
τε ἀλήθειαν καὶ ὀρθότητα ἀγόνων, ἐν οἷς  
δὴ καὶ Σὲ πειθεῖσι Παιδαγωγοὶ ὅτι τὴν ἀρε-  
τὴν καὶ ὀρθότητα εἰσηγῶνται τῆς νεανίσκου,  
πῶ τὴν κακότητα αὐτοῖς παρέσῃ τῇ διαλέξει  
γνωρίσαι. Ἐρῶσο.

ERICUS FALANDER  
Græc. & Hebr. Lingv.  
Prof. Publ.

**I**mmortalis est ingenii memoria,  
*Stoicus aliquandò dixit Romanus; ac ve-*  
*ritatem ejusdem effati dudum confirmavit*  
*postevitas erudita. Eibnicorum namque olim*  
*Deorum templa, Imperatorum aula, Senato-*  
*rum sedes, etiam Doctorum exedra, cubilis*  
*nunc sunt luporum, bubonum nidi, & Astro-*  
*rum receptus. In tantâ sed talium strage*  
*supersunt interim vivaces prastantium in-*  
*geniorum reliquia. Nam*

Dignum laude virum Musa vetat  
mori.

*Vel ut cum altero scribam:*

Chartis nec furta nocent, nec se-  
cula præsumunt:

Solaquè non norunt hæc monu-  
menta mori.

*Proindè quoque Plinius amicum hortaba-*  
*tur, ut studiorum suorum fructum aliquem*  
*publico daret, ac ex divitijs animi & opulen-*  
*tiâ ingenii, longâ studiorû negotiatione exer-*  
*citi relinqueret perpetuò futurum proprium,*  
*licet reliqua rerum ejus omnium post illum*  
*alium atque alium Dominum sortirentur, &c.*

*Sic*

*Sic Dissertatio hæc Philosophica, Perexi-*  
*mie Domine PETRE EURENI, amice*  
*multum honorande, in laudem diligentia Tua,*  
*& memoriam Elegantis Tui ingenii Maio-*  
*ribus atque Præceptoribus, Commilitonibus*  
*item ac posteris grata est, & erit accepta,*  
*quia dum Mali Moralis originem atque Na-*  
*turam ostendas, atque quid de illâ sentias,*  
*bonis omnibus Te Commendas, qui Tecum*  
*protoplastorum lapsu deplorant, & vel nunc*  
*recogitant ob Mundum in maligno positum, ma-*  
*la multa minari Scripturam, mala innume-*  
*ra ominari prodigiosa illâ portenta et ostenda*  
*qua indies in cælo & in terrâ non sine stu-*  
*pore vel videt, vel contingere audit Orbis*  
*totus, ni fallor, terrarum, & in illo Christiano*  
*Patria Nostra Charissima, quam Nobiscum &*  
*omnibus suis liberet Deus ab omni malo!*  
*sicut optat aliàs & semper*

GABRIEL WALLENIUS  
Reg. Acad. Ab. Biblioth.

---

*Ad Juvenem Pereximum atq; Literatissimû*  
DN. PETRUM EURENIUM,  
Patriotam & Amicum perdilectum.

**S**icut navigationis periti non so-  
lum inter murmurantis Oceani  
fre-

Fremitus tutissimum sibi cursum,  
& contra quaslibet inevitabiles  
procellas munitos portus, ubi re-  
periuntur, cognitos habent; ve-  
rum & noxia saxa, ceu syrtes, sco-  
pulos & cœtera probè notant,  
ne aliquando, cum violentiores  
venti ab imo quasi mari fluctus  
instar altissimorum montium ad  
sidera usq; tollant, in ea incidant,  
& naufragio pereant! Sic Amicis-  
sime DN. EURENI in dissertatio-  
ne hâc tuâ elegantissimâ vitia vi-  
tiorumque naturam prodis, ut in-  
offenso pede virtutis viam quis  
addiscat ingredi: perge ut cœpisti,  
& laboris tui Tenon poenitebis;  
sed eris Clarissimorum Majorum  
Tuorum, Gravissimi Dn. Senioris  
nostræ Diceceseos Episcopi, ac Avi-  
tui charissimi; Præclarissimi D. Pro-  
fessoris Ubsaliensis, Avunculi, plu-  
rimum

rium Reverendi Dn. Pastoris in  
Nora, Parentis tui, & cœterorum  
honoratissimorum Tuorum haud  
degener Nepos, filius ac con-  
sanguineus, quibus debito cum  
respectu Te minus, quia sanguine  
junctum, sed me magis & hâc oc-  
casione, etiam aliis commenda-  
tum semper cupiam, certus Deum  
Tuis egregiis studiis ex alto bene-  
dicturum!

Tuus

NICOLAUS FORZELIUS.

Παιδευμένη Κύριε Πέτρε Εορηνία  
Πατριῶτα Γίμια!

Πολλοῖς μὲν ῥήμασι τῆ γνησίας φύσεως  
ἰσχυρός τε καὶ εὐτυχίας συγχαίρειν σοι τοσούτω  
μᾶλλον μᾶλλον εἰσι ἐνόμισα, ὅσα περ τὴν διάνο-  
ιάν μου καὶ ἡθεῖα διαγνώσασί σε εἶδον. ἐγὼ  
τοιχαρῶν ὀλίγοις ἰστέροις ἐπιγηθεῶ τῇ ἀληθεῖ  
σοφίᾳ ἐπιμένειν σε, ἕως ἂν τῷ Θεῷ καὶ τῇ πα-  
τρίδι καὶ πᾶσί σε συμφυλέταις ἡδύτατον γε-  
νησόμενον.

Φιλίας ἕνεκα προσέθηκε  
MATTHIAS BILL.